

Pri. 29. num. 12. P. H. A.

Tüb

1735, 6 =

22

19. **MIXTVRA
JVRIS ROMANI ET GERMANICI
IN MATERIA
PATRIAEC POTESTATIS
ET QVAE INDE DEPENDENT
CONSPICVA**

PRO OBJECTO SPECIMINIS DISPV TATORII
EXHIBENT

P R A E S E S

P. 240. **GVNTHERVVS ALBERTVS RENZ**

J. V. L. EJVSEMQUE PROFESSOR IN COLLEG.
ILLVSTR. PVBL. ORDINARIUS,

ET

RESPONDENS

FERDINANDVS HENRICVS WOELFFING

STUTTGARD.

IN AVDITORIO COLLEG. ILLVSTR.


AD DIEM MART. A. MDCCXXXV.



REC VSA

HALAE MAGDEB. LITTERIS HENDELIANIS 1759. (6)





Thef. I.



Ociatatem quandam parentes inter & *Origo p.*
liberos esse, in vulgus notum est. *tric pore*
Ex ea mutua utrorumque jura, mu *statis.*
tua oriuntur officia, principi: le pa-
rentum officium in necessitate alen-
di & educandi consistit, quod cum
natura, seu Deus porius injunxerit,
idem & jus ad media fini huic obtinendo necessaria conces-
sisse merito censendus est; prono inde alveo fluit jus paren-
tum dirigendi actiones liberorum; sive istud *Imperium* sive
Potestatem appellaveris perinde est. Limites tam ratione
exercitii, quam ratione durationis ex fine aestimandi sunt, ut
nec plus in liberos licet parentibus, quam quod finis de-
posit, nec ultra duret istud imperium, quam finis obrentus
sit; quæ postea in liberos adhuc comperunt jura ex alio
fonte, spontanea sc. prorogatione & submissione capit: fa-
miliæ facta repetenda veniunt, quæ ideo ab accurioribus
sollicite distingui, plerumque tamen sub nomine imperii pa-
terni adhuc venire solent. Hæc sana ratio inter omnes ho-
mines distat, quæ latius hic exequi supervacuum foret,
cum viri celeberrimi otium nobis lac in re fecerint.

B 2

Thef.



Thef. II.

Eius conditio in re-publica.

Status civilis nihil in se continet, quod Imperio paterno contrariatur, unde quæ patri ut tali cōp̄tunt jura in civitate nequicquam imminuantur, quæ vero ut capiti familiæ, s̄p̄e ab Imperio civili expunēta vel potius sibi vindicata sunt. Cumque secundum Jus Naturæ limites potestatis per ratiocinium a fine deductum pro circumstantiarum in singulis casibus occurrentium ratione determinare cuiilibet patri vel matri-familias fas sit, in eo vero ob ingeniorum varietatem & pravos affectus facile errari & litibus in Republica ansa p̄r̄beri posset, si forsan parentes potestatem suam nimium quantum extendere, vel liberi obsequium detrectare ausi fuerint, factū inde, ut ad incommoda hæc p̄r̄cavenda per leges quarundam civitatum limites isti ad certum quid revocati & heic ampliati, isthinc restricti fuerint; unde Imperium quidem paternum apud omnes gentes deprehendes, at variis tamen gradibus distinctum.

Thef. III.

Quæ apud Romanos.

Qui rempublicam romanam condiderunt id sibi maxime curæ cordique habebant, ut mox civibus abundaret nova civitas, constat vero ideo potissimum aversari homines statum civilem, quod libertatis & multorum iurium iacturam concedendo in civitatem facere necessum habeant; ut itaque Romanam p̄r̄ aliis civitatibus eligerent homines, omnia ipsiis iura integra voluere conditores, maxime quæ capitibus familiæ competunt; hincjure civili romano adeo non imminutum civibus Imperium paternum, ut potius fere in immensum auctum dici possit: utpote non saltem jus vitæ & necis in statu naturali capiti familiæ communiter vindicari solitum per ipsas leges civiles stabilitum, sed & insuper potestas filium luci gratia ter vendendi, per ipsum omnia acqui-

acquirendi superaddita, & quod maxime mirum, omnibus hisce juribus ne terminus quidem alias quam mors patris præstitutus fuit. Mutatum per hasce leges *Imperium paternum* in *Dominium* quoddam nemo non videt, cum tantum non omnia veri dominii effecta heic conspicua sint add. l. i. s. 2. ff. de R. V. Et cum Jure Naturæ, prout ex ante dictis constat, potestas parentum non propter se, sed propter aliud, tanquam medium educationi liberorum accommodarum introducta sit, magis ideo horum, quam parentum utilitati attemperanda: aliam prorsus faciem iure romano naœta, quanta quanta est, utilitatem patris respicit. Matri, cuius & ipsis ex jure naturali Imperium est, nulla ratio habita legibus romanis, partim quod masculos magis quam foeminas alliceret, partim quod & ipse uxores per conventionem in manum potestati maritorum essent subjectæ, inhabiles inde hujus Imperii eosque judicatæ, ut & remota successu temporis posteriori ratione extorres semper a potestate in liberos manserint. Multa inde Romanis plane peculiaria, & conditio liberorum ob archissimum istum cum patre nexum longe alia ac apud reliquas gentes. Et licet sequioribus temporibus Imperatores, qui tanti momenti jura in privatis ferre non poterant, jus vitæ & necis cum jure vendundi sustulerint, jus acquirendi etiam per varia peculiarum generæ admodum restrinxerint, antiquus tamen conceptus patriæ potestatis cum reliquis exinde propullulantibus consecutariis, quæ non speciatim abrogata erant, semper remansit.

Thes. IV.

Germani prout antiquissimis temporibus in perfectam *Quæ olim Rempublicam* non coaluerant, ita nec legibus civilibus, sed *in Germania* bonis saltem moribus, teste TACITO, vivebant, quos insimili

B 3

plici

◆ ◆ ◆

plici juris naturæ observatione substituisse probabile est: unde neque circa statum parentum & liberorum quicquam occurrit, quod jus aliquod positivum redoleat: ut ut etiam postea hinc inde leges quædam latæ sint, nihil tamen hac ex parte immutatum reprehendere licet, sed habuerunt Germani talem saltem potestatem in liberos, qualis ipso jure naturæ efformata antea, audivimus, circa personam in formandis moribus eoque pertinente necessaria coercitione, ratione bonorum in facultate fructus exinde in compensationem sumtum educationis usque dum haec absoluta sit percipiendi consistentem, finiendam etiam quamprimum filius ipse sui compos ac pars reipublicæ esse cœpisset. Hujusque juris non solus pater sed & mater capax habebatur, ita ut per omnia solum dictamen rectæ rationis securi videarentur.

Theſ. V.

*Quæ post introductum
jus romanum.*

Talis erat relatio inter parentes & liberos cum jus romanum Germaniam occuparet, quod sicuti in multis juris articulis antiquos mores immutavit, ita nec parentum & liberorum jura intacta reliquit, ut etiam de hac materia ex vero prædicari possit, quod celeb. GRIBNERVS in egestia Dissert. de jure incerto ob dub. LL. quibus utimur aut. §. 4. generatim pronunciat, quod non uno sed multiplici jure utramur; & totus quidem iste conceptus patriæ potestatis romanæ, qualis antea exhibuimus, non potest dici in Germania receptus, nec enim potestas Germanorum jam degeneravit in Dominium sed in terminis Imperii adhuc tum subsistit; at non possumus tamen inficias ire multa ex jure romano, qua hanc materiam in foro Germaniae invecta, multosque potestati paternæ effectus superadditos esse, quos secundum principia domestica non produxerat. Verum quidem est prin-

7

principio rejecto nec principiatis locum dandum esse, i. e.
quia germani patriam potestatem in rigore juris romani non
recepérunt, ideo nec effectus ex solo isto rigore profluen-
tes recipiendos fuisse. Recte ita, si in legibus demum indu-
cendis versaremur, concedo, prudentia legislatoria id ex-
poscit. Ast non jam eam ætatem vivimus ut tanquam re
integra judicare liceat. Jus Romanum non certo consilio,
sed impetu magis, ut ut non uno, in fora nostra penetravit,
at penetravit tamen, nec jam quærendum est, an hoc vel il-
lud recipi debuerit? an non mores patrii præferendi? an
jurisprudentia redditia hiulca? Sed hoc unice quærendum,
an receptum sit? hoc semel evicto JCtis gloria obsequii re-
listæ: Nec enim privato ausu eliminari potest jus publica au-
toritate tacite licet receptum, nec Doctorum est de legibus
an concinne, an cohærentes sint, sed secundum leges judica-
re. Peccavit hoc in puncto, tenui meo judicio, illustr. Dn.
THOMAS. qui in plerisque suis scriptis speciatim etiam in
materia patria potestatis potissimum argumenta contra jus
Romanum inde petit, quod leges romanæ ad mores Ger-
manorum parum quadrent, & Germani naturam patriæ suæ
potestatis nunquam immutarint, consequenter nec effectus
alius potestatis admittere potuerint; & quicquid hac in par-
te factum ex errore processisse, quasi jus romanum Germanos
per se stringeret & integræ auctoritatis esset. Arrident
hæc ingenii philosophicis, qua connexionem ubique sibi
constantem etiam in Jurisprudentia exigunt, nec abnuo val-
de oportibilem rem esse, sed experientia me cogit, ut fatear,
aliam esse faciem Jurisprudentiæ romano-germanicæ; Col-
luctati sunt per aliquot jam sæcula antiqui Germanorum mo-
res cum jure romano, & posterius sæpiissime victoriam re-
portavit, subinde tamen etiam istis vigorem suum conser-
vantibus,

vantibus, orta inde Jurisprudentia ex diversis principiis con-
flata, quæ, si in eadem materia concurrant, eam non possunt
non male cohærentem reddere. Stomachum id movit JCis
cordatioribus nostri temporis, qui ideo vices Jurispruden-
tiae nostræ haud immerito dolent; Id vero male me habet,
quod ipsi privatim malo huic medicinam afferre præsumant,
quam tamen soli potestati legislatoriæ reservatam existimo:
Non jam meam facio controversiam istam de receptione
juris romani: An & in quantum auctoritatem obtinuerit?
Id saltim moneo: Quæ principia per plura ab hinc secula
toties quoties in summis & inferioribus Germaniæ tribuna-
libus regnarunt, de eorum receptione frustra hodie disputa-
tur. Sit! non bene factum; esto errori omnia deberi! tam
altas tamen per tantum temporis lapsum radices egere prin-
cipia ista, & fundamenti loco non sine præscitu imo consen-
su summæ potestatis substrata sunt, ut privata auctoritate
evellicari nequeant; Et Dn. THOMASIVS dum in Disp. *de*
rite formando statu controversiae an legum Romanarum fre-
quens sit usus in foris Germaniæ? omnes modos probandi
receptionem enervare satagit, nimium præconceptæ suæ
opinioni induluisse videtur. Monenda hec vel ideo erant,
quia persuassissimum habeo in ipsa hac, quæ præ manibus
est, materia patriæ patetatis idem contigisse, effectus nimi-
rum quosdam Germaniæ se insinuasse, qui non nisi ex po-
testate secundum conceptum romanorum accepta deduci
queunt, quos JCri isti nitori philosophico restituere volen-
tes Jurisprudentiam ex eo eliminare iterum intendunt, quia
fons unde promanant, Dominium sc. istud in liberos Germani-
am non penetraverit, nihil admittendum existimantes, nisi
quod ex natura & definitione potestatis germanicae conse-
quitur, quibus tamen, ut dictum, assentiri nequeo, iis, quæ
semel

◊ ◊

semel in judiciis utut invita forsan Minerva invaluerunt, eo.
usque insistendum existimans, dum publica auctoritate aliud
præceptum fuerit.

Thef. VI.

In eo potius operam JCtis collocandam autumo, ut *Quæbodie.*
sollicite discernant & studiose legum juventuti inculcent,
quid ex antiquis moribus retentum, quid ex peregrino jure
superadjectum sit, ne ex una parte totam farraginem legum
Romanarum ad prorsus expungendos, etiam qui supersti-
ties adhuc sunt, mores patrios in praxin deducendam, neve
ex altera parte cum Dominio isto quiritario omnes effectus
repudiandos & in sola simplicitate juris naturæ subsisten-
dum existimant ex scholis in fora prodeuentes jurium studio-
si: Media via, uti semper, ita etiam in hoc passu est optimæ,
nec amor, nec odio vel patrii vel peregrini juris quicquam
hic tribuendum, sed quomodo res sece ipso actu habeat sine
partium studio inquirendum. Optandum ut cordatus qui-
dam JCtus hoc labore per omnes partes juris & per singu-
las materias eundo defungeretur, multum hoc ad tollendam
juris incertitudinem aut minuendam saltem conduceret. Et
eo jam tendit hæc Dissertatio, ut quid circa relationem pa-
rentum & liberorum Juri Domestico quid juri peregrino
debeat, succincte inquirat: utut enim multa hanc in rem
jam dicta sint ab egregiis JCtis BEYERO *spec. Jur. German.*
c. 26. THOMASIO in binis *Disp. de usu jur. pat. Rom. sec. mo-*
res Germ. &^r *de usu practico Tit. Instit. de pat. pot.* nec non
in Disp. de quasi Emancipatione Germanorum &c. b. HARPP-
PRECHT *Disp. de separat. ab oeon. pat.* BOEHMER *de statu*
liber. per separat. ab oeon. pat. vel nupt. sui juris factio.
KEMMERICH *Access. ad Instit. L. i. Sect. 3. Tit. 21.* mihi ta-
men non adeo exhausta visa est materia, ut non hinc inde
B spici.



spicilegio cuidam locus pateret. Quid ergo utrumque jus
1) circa modos adquirendi potestatem, 2) circa subjecta,
3) circa ipsa jura & effectus, ut & 4) circa rationem finiendi
sibi vindicet, ordine percurremus. Breviter quidem pro
modulo Dissertationis academicæ.

Theſ. VII.

*Primo cau-
ſa patr. pot.
generatio.*

Et procreatio quidem, qua *primum*, tam de naturali &
Germanico, quam civili Romano jure, quatenus parentes ad
educationem adstringit, potestatis causa est. Leges Roma-
næ reſtringunt id ad procreationem ex concubitu legitimo,
matrimonio sc. ex illegitimo itaque patria potestas Romana
non nascitur. At cum etiam proles illegitima alenda &
educanda a parentibus sit, nullus dubito potestatem natura-
lem etiam in istam competere matri non solum sed & pa-
tri, si velit curam illius in ſe ſuscipere, quamvis plerum-
que praefitī alimentis reliquam educationis curam abice-
re & mari ſoli relinquere ſoleat: quicunque ergo effectus
ex potestate naturali profluunt, illi etiam ratione liberorum
illegitimorum locum habent, non vero qui potestatem civi-
lem conſequuntur.

Theſ. VIII.

*Secunda le-
gitimatio.*

Legitimationem per subsequens matrimonium juri Ro-
mano debemus, & quin ea effectus patriæ potestatis civilis
post ſe trahat nemo dubitat. Legitimatio per reſcriptum
Principis non aliter ad nostrum scopum pertinet, ac in ca-
ſu, quo ipſe pater prolemita legitimandam curat, utpote
tum demum eſt modus conſtituendi patriam potestatem:
ubi ſumma quidem potestas legitimare potest, etiamsi pa-
ter alios jam liberos legitimos habeat, & matrem filii ille-
gitimi uxorem ducere non impediretur, nec eo caſu liberi
legitimi præcipuam poſſunt petere legitimam, ceu quod
nec

nec jure Romano nec consuetudine inductum probari potest. Comites vero Palatinos ad requisita ista legum Romanarum, nisi speciatim iis per tenorem diplomatis soluti sint, adstrictos putarem: quæ autem ad abstergendam maculam illegitima nativitate contractam ex jure publico universaliter sicut in qualibet republica ita & in Germania invaluit, legitimatio ex legibus Romanis dijudicanda non est: Interim & hic tenor diplomatis probe attendendus, cum potestas illa delegata comitum Palatinorum non temere extendenda sit. Legitimatio per oblationem curiae genuinum exemplum est dispositionis Romanæ ad Germaniam nullatenus quadrantis indeque omnium consensu nec receptæ.

Thes. IX.

Adoptionis jura ex legibus Romanis in Germaniam transisse, iisdem etiam regi, sive dein frequenter sive raro occurrant, cordatores fatentur. Inde est, quod, cum ab initio patriam potestatem civilem pro vnico fine habuerit, sceminae, quæ hujus incapaces sunt, adoptare nequeant: Et licet postea Justinianus introduxerit adoptionem minus plenam, quæ etiam in sceminas cadere posset, tamen nihil hic immuratum, nec jure noviori Romano, nec apud Germanos, quippe qui toram hanc rem ex principiis romanis aestimant: hodienum ergo vera regula, quod non detur mater adoptiva. Principem, sceminae, tametsi nullos liberos amiserit, facultatem adoptandi concedere posse, ex jure dispensandi contra leges Romanas luculenter patet: Comites Palatinos id non posse, nisi diploma id exprimat, persuasum habeo. Unionem prolium potestarem patriam non operari expeditum hodie est, unde nihil hic deprehendo, quod ad Rhombum faciat.

*Cuinam pa-
tr. potest.
competat I.
Rom. cui I.
Germ.*

Quod secundo loco subiectum attinet, constat jus Romanum soli patri omnem potestatem addicere, matre penitus exclusa, ita ut ne patre quidem mortuo quicquam juris in eam transeat, sed liberi sui juris efficerentur, nec alio quam Tutelle titulo mater sibi circa eos aliquid juris vindicare possit. Videamus quid ad hec Germani. Secuti heic sunt sanam rationem & mores plerarumque gentium, tantam potestatem, quantum natura requirit, matri etiam vivo patre, subordinate tamen, hoc vero mortuo soli concedendo, ut ante receptum jus Romanum, quae patri competierant jura, eo mortuo omnia in matrem transferint. Neque per jus Romanum hic quicquam immutatum, utut invento isto sub nomine magis reverentiae JCris venire consueverit, qui aliam potestatem, quam civilem istam haud agnoscabant, non cogitantes ex reverentia non posse inferri obligationem perfectam, qualem tamen deprehendi in liberis erga matrem ipso rerum usu fateri coguntur, quæque ideo nomine obsequii magis insignienda, eique correspondens in matre potestas naturalis agnoscenda erat. Non est hæc observatio sine fructu: Suppediat enim regulam: quod quicquid ex potestate parentum naturali fluit, etiam matri competit, quicquid vero ex civili, id quatenus receptum, soli patri non matri adscriendum veniat, quod in sequentibus, qua singulos effectus specialius apparebit. Datur igitur hodienum potestas etiam materna, quæ ramen non impedit, quo minus patre mortuo filius possit dici sui juris, quia hæc juris Romani denominatio relationem ad potestatem civilem haber, a qua utique tum filius liber est. Huic potestati debetur, quod mater etiam si non sit Tutrix & educationis curam, & bonorum non ad-

mini-

ministrationem saltim sed & usumfructum æque ac pater habeat, eaque omnia tametsi vitricum superinduxerit, contra principia Romana retineat. An avo etiam Germanico, uti jure Romano, competere queat potestas, infra commodior dicendi locus erit.

Thef. XI.

Potissimum vero tertio ipsi effectus differentes quoad utrumque jus inquirendi veniunt, ubi respectu corporis primo se sifist jus vita & necis, quod iam jure noviori Ro mano exoleverat, multo minus Germanis cognitum, & parentis parricidii reus est filium, etiam extrema meritum occidendo. Jus secundo vendendi vel ideo in Germania cessat, quia non habemus commercium hominum. Nec credere patrem filium invitum militare (v.gr. Borussicæ pro ingenti pecuniae summa) addicere posse ut ipse inde sustentetur, alius vero operis suis, quin filius patri indigenti viatum quærere, ex natura teneatur, nullus dubito. Quia ad laborandum quilibet, ad militiam nisi ex necessitatibus publicis cogi nemo potest.

Thef. XII.

Ad jus circa personam tertio etiam referendum inter dictum de liberis exhibendis item ducendis. In quo nihil singulare habent leges Romanæ, quod non ex ipsa potestate naturali fluoret, quippe educatio requirit, ut præsto sit filius parenti, unde si quam maxime filius alibi degere mallet, patrem tamen petentem sine mora sequi, & a detinente exhiberi deber. Nec enim filii nec tertii cuiusquam sed patris est statuere, ubi filius degere & quæ tractare debeat, quippe cui & naturale & civile jus necessitatem imposuit, filium ita formandi ut idoneum societatis membrum fiat, cuius ideo est arbitrari inter alia potissimum, quibus principiis



piis religionis tener adhuc animus imbuendus, de qua re
distincte pronunciandum. Conscientia quidem & causæ
religionis omne imperium humanum, adeoque & pater-
num respuant, nec ideo pater filium ut præcise suam reli-
gionem sequatur, obstringere, a teneris tamen unguiculis
rudem adhuc & ad talia dijudicanda nondum sat maturum
animum vel ipse erudire vel alii instruendum tradere, &
cujusnam religionis præceptis (quanta hujus rei vis per o-
mnem ætatem sit nemo ignorat) innutriendus sit, præscri-
bere potest, salva deinde filio, cum jam ad maturitatem
pervenerit judicium (vulgo annos discretionis vocant) ple-
nissima libertate conscientiæ, cui ipsa patria potestas cede-
re & filius, qui modo sua sponte non persuasus, non sedu-
ctus, & jam in ea ætate constitutus ut fundamenta fidei di-
scernere queat, aliam religionem sequitur, invitus ab ea
avelli non debet. Nulla tamen inde derentoribus filii (Mo-
nasteriis plerumque Romano – Catholicorum) exceptio
nascitur contra patrem, qui ad exhibendum filium agit,
nec enim patri deneganda est facultas tentandi, an filium
in pristinam viam reducere, & principia noviter hausta,
non vi sed rationibus, animo excutere iterum valeat. Co-
pia itaque filii patri facienda non colloquendi faltem una
vel altera vice, & forsan in conspectu eorum, qui detinent,
sed exhibendus plane, ut domum ducere & quæ expedi-
re videntur, absit tamen violenta remedia adhibere que-
at. Nec audiendus est filius ipse ad patrem redire detre-
ctans, sive annos discretionis nondum attigerit, quod ma-
nifestum, sive etiam attigerit, quia de seria & omnibus
dolis ac persuasionibus vacua voluntate constare nisi in ple-
na libertate non potest, nec defugere filio paternas mo-
nitiones permisum, quem sola religionis mutatio a patria
potesta.

potestate directe haud liberavit. Quod si vero, qui jam provectionis ætatis est, monitionibus paternis locum dare nolit, sed per aliquod temporis spatum patri relictus in electa via persistat, non licet patri vi patriæ potestatis conatus filii resistere, sed si vel ad monachismum imperu quodam rapiatur, sibi relinquendus erit. Pater autem, et iam si hac ratione disrumpatur potestas commodis nihilo secius fruetur, eo usque dum secundum leges provinciæ alioquin liceret, quia non debet facto filii jus patri quæsum interverti, sicut e converso nec obligationem patris ad alendum filium hoc ipso dissolvi æquitas patitur.

Thes. XIII.

Hæc hæc tenus de P. P. intuitu religionis abstrahendo
a juribus Reipublicæ. Jam si eam cum summo Imperio
hoc in puncto committamus, quid ista quid hoc valeat vi-
dendum. Ubi quidem questio occurrit, an imperans pa-
tri injungere possit, ut liberos in hac vel illa religione e-
ducare teneatur? quam secundum principia sanæ rationis
ordinarie negandam censeo. Minimum optio patri dan-
da annon potius emigrare liberosque secum abducere ve-
lit, id quod multo magis in Germania dicendum, ubi per
paœta publica liberrima emigratio abductis simul liberis
fancita, quod si vero filius perfectæ jam ætatis remanere
malit, pater invitum abducere nequit, nec tamen filio ideo
portio hæreditaria imo ne quidem legitima, cu[m] quæ vi-
ventis nulla, anticipanda est. Alimenta utique quibus ad-
huc indiget filius, & ex legum dispositione alias debitam
dotem decerpere licet. Vice versa filium migrare volen-
tem pater retinere non deberet, de bonis idem, quod priori
casu, judicium esto; liberi immaturi judicii dispositioni pa-
ternæ penitus subjacent, ita ut imperans nec retinere eos
invi-

*In relatione
ne ad Rem
publicam.*



invitis parentibus nec religionem unam vel alteram impere queat, recte ideo Illustr. BOEHMERVS in *Iure Eccles.* prot. ad tit. de Baptismo & ejus effectu §. 9. rejicit sententiam, quasi Judæorum liberi invitis parentibus baptizari possent. Concludendum ergo patriam potestatem hac in parte etiam in republica salvam & illibatam mansisse, nec plus licere summae potestati in liberos, ac in ipsis parentes.

Thef. XIV.

*Etsiam ma-
tri compe-
tens.*

Fluunt hæc ex Imperio parentibus naturaliter concesso, eoque de matre non minus ac patre vera sunt, salva huic, si non ex jure naturæ, moribus tamen gentium prærogativa, ut dissidentibus parentibus non minus filiæ ac filii patris regulariter directioni committendæ. Mater ergo patre mortuo ad exhibendum filium æque agere potest ac pater, nec plus ipsa viva in liberos potest imperans ac si pater adhuc viveret; justissimæ ideo querelæ Dñæ ab Auffses filium sibi ablatum actione spolii quam promissime vindicantis, de qua re videre licet FABRI Staats-Canzley P. 56. Cap. 5. P. 57. Cap. 3. P. 59. Cap. 2. P. 60. Cap. 4. Dijudicari exinde etiam possunt statuta quorundam locorum, omnes liberos illegitime natos in religione dominante præcise educandos jubentia: Juri naturæ contraria pronunciare non dubito, quippe potestas naturalis parentum etiam in eos fundata est, observante TITIO in Disp. de Contrætu inter parentes & liberos §. 25. ideoque antedicta etiam huc quadrant, nec relevat, quod parentes in pœnam commissi delicti potestate ista privare possit legislator, non enim pœna debet statui, quæ conscientiam onerat, minimum ab iniuritatis nota absolvit non possunt hæc leges si facultatem liberos ejusmodi aliorum transferendi denegant:

omnium

omnium minime vero in Germania tale statutum tolerandum, quia ibi cujuscunque generis & conditionis civibus de libertate conscientiae sub nullo prætextu auferenda plenissime prospectum. Cum ergo Principia juris Romani de potestate soli patri & in liberos legitimos saltem competente hoc applies, cum hunc ipsum in finem potestati naturali hunc effectum adscriperimus, quam Germani matri & ante & post receptum jus Romanum inconcussam confervarunt.

Thef. XV.

Iisdem fere fundamentis nititur jus decernendi & præscribendi liberis certum & ad quærendum victum necessarium circa vitæ genus. Immaturi liberi non possunt*ad iudicare*, quid hic fibi expediat & ad que ipsi apti sint, ad parentes ergo redire necesse est hoc arbitrium, qui tamen quam maxime caveant, ne destinationes suas tanquam normam inclinationis liberis obtrudant: faciles potius se præbeant in mutandis istis & hac sequenda, si modo honesta sit. Nec enim omne liberorum, qui jam annos discretionis vivunt, arbitrium hic exclusum, neque perpetuam vitæ legem constituisse potest patris voluntas. Id tamen hic potissimum considerandum venit, cum sine sumtibus nihil facile vel liberalium vel illiberalium artium possit addisci, aliæ vero aliis maiores longe requirant, patris esse pro facultatum modo & numero liberorum statuere, quibus ferendis par sit, unde si filius artificium nimis sumtnofum elegerit, non poterit pater compelli ad sumitus istos suppeditandos, cum evenire inde posset, ut ipse postea egeret vel reliquis liberis necessaria præripentur, quod iniquum; nec existimarem, tabellas a patre posci vel in facultates inquire posse, cum eo se jus filii

C



filii non extendat, qui contentus esse deber, modo honesta alimenta & educatio præstentur. Modum decernere patri & natura & leges civiles permittrunt; Ex his, quid de filio, invito patre, studiis incumbente sumtibusque a patre suppeditandis sentiendum sit, haud difficulter liquet, nec enim Doctorum est privilegia pro modulo ingenii sui commissi.

Theſ. XVI.

Tutoris datio.

Huc quarto etiam pertinet facultas parenti moribundo competens liberis primæ adhuc ætatis de Tutore prospicendi, quam non à solo quiritur, sed ipso naturali jure reperendam autumo: sicut enim pater vivus impedimentis quibusdam distractus filium alii educandum committere potest, ita non video quid obſter, quo minus eodem jure gaudeat, dum liberos juris paternis mox privatum iri videt, ipſe quippe optime novit, quis liberorum genius, cuiusnam imperium ipsis maxime conveniat? Idque licere puto, etiam si matrem liberorum superstitem relinquat, quam forsitan ob fragilitatem sexus oneri imparem judicat, dummodo eam non prorsus excludat, quod potestas naturalis in eam tum majori cum pondere recidens non admittit, quo in articulo magis principia domesticæ in æquitate naturali fundata, quam Romana sequimur, secundum quæ pater matrem & a Tutela *N. n^o 8. Cap. 5.* & ab educatione excludere poterat: sicut & mater in Germania liberius Tutorem ac apud Romanos dare potest, hoc saltē obſervando, quod maturiori deliberatione pater quam mater censeatur dedisse indeque facilius ab hiujus quam illius voluntate recedere fas sit magistratui.

Theſ.

Thes. XVII.

Personas liberorum *quinto* spectat jus parentum circa *Jus paren-*
matrimonia, quæ eos sine horum consensu ex jure naturæ *tum circa*
inire haud posse censeo, ita tamen ut hisce salvum non sit si *matrimonii*
ne sufficiente ratione honestam conditionem impedire, cu- *a libero-*
re *ius* *rei cognitio* in statu civili ad magistratum pertinet, qui *rum.*
ex principiis sanæ rationis consensum supplere potest: Ci-
tra hoc autem si filius ad vota hæc processerit, parentes ju-
re *suo possunt intercedere: Romani uti semper, ita & hic*
patrem solum respiciunt, ob ejus dissensum matrimonium
filii nullum dicunt, nec his magistratui quicquam indulgent,
matris consensum de honestate saltem i. e. obligatione im-
perfecta requirunt. At conservarunt Germani etiam hic
matri potestatem juri naturæ debitam, ut post patrem et
iam ipsius consensus de necessitate requiratur, & illa æque
ac pater sponsalia se inconsulta celebrata possit dicere nul-
la: quid de matrimonio jam contracto sentiendum jam non
disquiro, id saltem addens, quod in toto hac re tantum va-
leat matris quantum patris auctoritas salva huic in concur-
su prærogativa. Cumque retinuerimus etiam jus istud
supplendi consensum, facile apparet, prædominari hac in
parte mores patrios juri Romano.

Thes. XVIII.

Jus circa bona liberorum quod sexto attinet in eo insi- *Quid pa-*
gnis adparet differentia inter jus naturæ & Romanum: Il- *renti licet*
lud scil. filio familias ut cuiilibet alii Dominium rerum quo, in bona lib.
cunque Titulo ad cum devolutarum addicit, patri saltem
sumtus educationis inde decerpere, & quia tam accurata
proprio desuper inire non potest, fructus dum durat e-
dncatio, percipere concedens: Hoc autem ab initio liberos



familias prorsus inhabiles omnis proprietatis statuit, ex postfacto varias quidem ab hac regula exceptiones formavit, salvo tamen semper principio: Et in his terminis jus Romanorum in fora Germaniae transisse sustineo, ita ut secundum diversas peculiorum species de bonis liberorum etiam in Germania pronunciandum sit. Et licet peculium profectitum vix detur, bona tamen, quae filius in ministerio patris vel in genere intuitu patris acquisivit patri pleno jure cedere ideoque nomine profectitorum insigniri posse persuasissimum habeo. Reliqua, quae aliunde obveniunt, iisdem distinctionibus, quibus Romani utuntur, expendiuntur, ut regulariter patri competat ususfructus, qui sane certius ex Lib. C. de bon. quae lib. quam ex vagis dispositi-
nibus speculorum Saxonici & Suevici deducitur, cum multis retro temporibus praescripta istius legis accuratissime in Germania observata fuerint; id vero juri domestico debetur, quod idem ad matrem etiam extensum sit, quamvis in quibusdam locis exulet iste ususfructus maternus, sive antiquitus ibi non receptus sive per juris Romani auctoritatem iterum excusus B. Dn. D. HARPRECHT. Disp. de usufr. statut. matrim. qua constituendo §. 7. Quod vero in casibus ab hac regula ususfructus parentibus competentis exceptis etiam in Germania plenum dominium liberorum nec utendi fruendi jus parentibus sit, consequenter eaque ac apud Romanos bona adventitia irregularia vel extraordinaria dentur, ex singulis exemplis, quae vix ullus in dubium vocat, clarescit. Neque incognita peculia castrenia & quasi, quia haud difficile est casus concipere, ubi filius vel in Sago, vel in Toga militat, & adhucdum sub PP. degit, veluti si filio primae ætatis (uti haud raro hodie accidit) munus militare conferatur, si filius in academia Ephoria

ria

ria quadam fungatur, in domo patris Advocati munus ob-
eat, stipendum sine dubio castrensi, salario, & honoraria
quasi castrensi peculio accensenda, omniaque juris Romanii,
ceu ex quo tota hæc res Germanis innotuit, scita eo adpli-
canda erunt.

Thef. XIX.

Ducor ita *septimo ad operas liberorum*, quas in *œconomicas & artificiales* dispescere solent, atque illas quam diu
potestas durat debere & patri & matri nullus dubito, ubi
vero potestas stricte sic dicta ob finem educationis obtenu-
tum expiravit, & liberi non sui commodi sed magis paren-
tum causa in familia paterna vel materna subsistunt, tanti-
que momenti operas præstant ut plus quam simplicem vi-
etum demereri videantur, forsitan a parente dimissio dene-
gata, qui alioquin ancilla vel famulo opus habuisset, hoc
casu mercedem liberis præstandam esse iustitia exposcit.

B. HARPPRECHT. *Disp. de salar. pro oper. lib. præfit. Cap. 3.*
§. 21. Sunt enim operæ veluti sors quadam liberorum
propria, qua parentum patrimonium auxerunt, quod ideo
augmentum non parentum sed filii demerentis est, unde
non tam ex obligatione, quam proprietate potius agunt
liberi. Ex operis *artificialibus* filius sit: acquirit, in rāmen
parenti, cuius de pane vivit, simul *œconomicas* operas
præstet, huic ad sumptus alimentorum (*Kostgeld*) ex acqui-
sitionis suis tenebitur, secundum commune istud principium,
obligationem parentis ad elendum cessare quam primum
filii se ipse exhibere queat, nec solo usufructu pater con-
tentus esse tenetur, quia quem alit filium, eundem ad o-
peras sibi præstandas habet obligatum hoc ergo tempus
aliorum, & ad proprium commodum impendente, iste

C 3

*Quid circa
operas.*

meri.

merito onus alendi detrectat. Quodsi vero extra domum patris, utut filius adhuc familias degat, (quod contingere posse , ex infra dicendis apparebit) quicquid operis suis acquirit totum quidem retinet, usufructu tamen, excepta causa castrensi vel quasi, patri non denegando, ceu quem non ob educationem tantum præsentem sed & præteritam, quoad usque durat potestas, parentibus addicunt leges non saltem Romanæ, sed & ipsæ Germanicæ: quid quod educatio ista causa saltem movens fuerit, qua licet cessante (puero forsan a tenera ætate ab avo vel alio quodam suis sumbris educato, ususfructus parentibus tamen competit, quia leges, occasione saltem ab onere educandi arrepta, generaliter usumfructum parentibus concesserunt, præcidendo plane singulares singulorum casuum circumstantias, unde hæc non de patre solum ex principiis juris Romani sed & de matre ex ipso jure Germanico vera sunt.

Thes. XX.

Fictio unitatis a qua contractus.

Accedo jam oīavo ad fictionem unitatis, & qui inde promanant, effectus. Eam Germanis oīim incognitam fuisse facile largior, nec debuisse, ceu dominio quiritorio exploso, recipi iterum concedo. Atqui nihil secius recepta sit non dubito. Quotquot enim evolvere datur Germanicæ JCtos, usque ad novores istos juris Germanici patronos, omnes receptionem istam tanquam indubitatam testantur. Constat vero omnia Germanicæ judicia vel ipsa ex JCtis composita esse, vel ad confilia JCtorum sententias ferre, ecquis ergo quæsto in dubium vocaret, omnes, qui in foris obvenierunt, casus secundum normam juris Romani decisos fuisse? & quis tam pertinax foret ut

ex

ex continua tam diurni temporis observantia forensi auctoritatem legis non agnosceret? Neque enim nostris dum temporibus interrumpi potuit, que jam dudum vim legis invaluerat, observantia, nec ideo contraria responsa vel eriam praejudicia noviorum temporum attendi merentur. Haud itaque vereor donationem a patre in filium sub potestate adhuc constitutum collatam invalidam pronunciare, ita ut & pater eam pro lubitū revocare queat, & ea morte filii per se expiret, morte patris autem confirmetur, similiter omnes alii contractus, inter easdem personas initi nullius momenti sunt, nisi de castrensi quasi castrensi, vel adventitio irregulari peculio, quia quoad omnia hæc fictionem unitatis ipso jure Romano cessare persuasum habeo: Non idem de adventitio regulari cum TITIO de contr. par. & liber. §. 47. sentio ob administracionem patri non filio etiam ratione ipsius proprietatis competentem. Naturalis utique potestas non obstat, quo minus & pater filio & filius patri efficaciter obligari ex quo-
cunque negotio posset: At obstat civilis hac in parte, per ante dicta, in Germania recepta. Et ne auctoritas huic sententiae desit, non ad veteres provocabo sed testem omnium exceptione Smajorem laudo Illustr. Dn. WERNHER qui in obser. for. P. V. obf. 189. refutatis contra sententium argumentis bina praejudicata ad normam responsorum Facult. Jurid. Wittebergensis lata adducit, BEYERI, modo dictam Facultatem in contrarias partes vocantis auctoritati merito opponendus: Nec contrarius est BERGER *econom. jur.* L. I. t. 4. p. 155. seqq. nec quæ a TITIO in Disp. de contr. par. & lib. §. 59. seqq. adferuntur praejudicia contraria penitus sunt, potius thesis nostra in plerisque ibi allegatis responsis salva supponitur. Et secundum hæc fundamenta casum

◆ ◆ ◆

sum L. 6. §. 2. C. de bon. quæ lib. de patre usumfructum adventitorum remittente adhuc hodie decidendum existimo, quod scil. patri, non obstante remissione, jus suum semper persequi & usumfructum ad se trahere liceat, eo vero mortuo haeredes nihil movere queant. Quid vero, si patrem remissionis pœnitear, an etiam fructus a filio jam perceperos, quasi & ipsos invalide donatos, repeterem potest? Non puto, quia nihil juris hic a patre in filium translatum sed occasio saltem acquirendi neglecta est, nec filius istos fructus a patre sed potius ex re sua proprio jure acquisivit, uti similes de non acquisitione, ab alienatione, differente, decisiones occurruunt in L. 6. pr. & §§. seqq. ff. quæ in Fraud. Cred. &c. in L. 5. §. 13. seq. ff. de Donat. inter vir. & uxor.

Thes. XXI.

*Jus Saxon.
& Würten-
berg.*

Hæc principia ego generaliter & de regula in Germania vigere arbitror; minus autem dubii subest, ubi vel PP. Romanorum generatim vel speciatim hæc fictio unitatis per leges provinciales approbata est, uti prius jure Saxonico electorali per *Constit. 10. P. 2.* posterius *J. Prov. Würtenberg. P. 2. Tit. 28. §.* *Wir verbiebthen &c.* expresse factum: ne hoc quidem persuadere potuit Dn. THOMASIO, nt juris Romani scitis hac in parte locum daret; at indignum tanto viro ratiocinium, quo in *Diss. de usu præt. Tit. Instit. de patr. pot. c. 2. §. 18. seq.* utitur, quasi vero licet legislatorem erroris accusare, & leges clarissimas hoc prætexu evertere, ut taceam, tantam auctoritatem Glosfatoris Saxonici, quem auctorem hujus erroris unum peragit, non fuisse, ut totam Germaniam errori huic involveare potuerit. Nimium sane pervicacem in profligando
jure

jure Romano se hic exhibuit vir doctissimus. Nec enim
 video, quid publica res detrimenti inde capiat, si negotia
 patris & filii nullius momenti sint, potuerunt potius
 leges civiles, uti multum arbitriæ sunt, hac in parte ali-
 quid disponere, quod ex generali conceperu potestatis
 Germanicæ haud fueret: imo possent fortan hujus dispo-
 sitionis aliae rationes præter jus Romanum haud inconci-
 næ allegari, veluti, quod patrem filio obligari non de-
 ceat, in filio obligando autem periculum concussionis vel
 metus minimum reverentialis subsit, quod sane respexisse
 videtur *Serenissimus Legislator Würtenbergicus*, dum
 dicto loco exceptit contractus auctoritate judicis innitos,
 cum jure Romano ne magistratus quidem auctoritas vali-
 ditatem negotiis istis conciliare potuerit. Aliud firma-
 mentum donationis paternæ ex jure Canon. tradit GAIL.
 2. Obj. 38. num. 7. jusjurandum scil. quod facultatem revo-
 candi adimit, novimus autem eam morte patris, qui non
 revocavit, confirmari, dubito itaque an juramentum esse.
 Etum etiam habeat filio præmoriente, quia tum revoca-
 tione non est opus, sed ipso jure res ad patrem rever-
 titur, nisi ergo speciatim etiam hæredum mentio facta,
 crederem filio saltim juratum. Hæc omnia an etiam ad
 principes Germanie cum liberis suis contrahentes appli-
 cari queant? Prolixa ventilatum est occasione causæ illus-
 tris in Consil. Altdorff. 12. & Tribus adoptivis ubi Altdorf-
 finorum, Lipsiensem, Jenensem & Wittebergensem
 Jctorum sententia videri potest, quam controversiam jam
 meam non facio, ne falcem in messem Excellent. Du. Dr.
 HELFFERICHII Jurisprudentiam scil. statuum Imperii pri-
 vatam, quam Dissertatione præliminari explicare cœpit
 vir doctissimus, immittam, id saltē observo, quod qua-
 sumi.

D

tuor



tuor ista collegia receptionem juris Romani, qua hunc
passum quasi ἐξαγώνων supposuerint.

Thef. XXII.

b) Qua ju-
dice.

Hactenus de primo effectu unitatis, qui non patitur
ut pater a filio vel vice versa jus acquirat? quod si vero
jam uterque jus aliquod habeat, & de eo controversia in-
cidat, altera quæstio emergit, an litigare filius cum patre
queat? Et notum est juris Romani scitum non posse in-
ter dictas personas esse judicium: quod in Germania si
quidem cohærerent principia æque ac prius observandum
esset, ast cum saepe unum consæctarium receperint fora
nostra, alterum ex eodem licet principio ductum repu-
diaverint, vix tuto licebit argumentari, ab uno effectu
sepe memoratae fictionis ad alterum, de cuiuslibet potius
praxi speciatim disquirendum: dubito autem an non hic
contraria prioribus vestigia in foris deprehendantur.
Necessitas enim saepe cogit a regula juris Romani rece-
dere, si controversia inter patrem & filium demergat,
& neuter de jure suo remittere velit: Pone patrem vel
matrem in testamento filium exhaeredare & nepotem hæ-
redem instituere, si ille testamentum ex uno vel altero
defectu nullum dicar, hic vero vel nomine ejus tutor te-
nori ejus insistat, commodum sibi inibi delatum dimitte-
re nolens, non poterit res aliter nisi per modum judicii
decidi, neutri enim vitio verti potest, quod jus suum
persequi intendat, nec autumno, quenquam repugnatu-
rum, quo minus causa hæc secundum consuetum Judicio-
rum ordinem ventiletur & expediatur. Dici posset vel
fictionem unitatis hic etiam quoad adventitium regulare
cessare, securus ac in materia contractuum, quia pater legi-
timus

timus ejus administrator est, nec ideo a filio quicquam
jus circa illud acquirere potest, hic vero de administracione
rem nondum expediam sed adhuc in questione es-
se; Vel, ipsum jus Romanum utut non ordinarius actiones
extraordinarias tamen persecutiones inter patrem &
filium admisso *L. 5 pr. ss. seqq. ff. de agnoscend. & alend.*
liber. in Germania autem differentias utriusque generis
remediorum parum attendi: indeque eo facilius lites ad-
mitti: vel denique, perspexisse Germanos applicationem
juris Romani, hic absurd & iniqua post se tracturam,
quod in aliis fictionis istius effectibus non deprehendentur.
De jure Württembergico res hic salva est, quia pu-
blica magistratus auctoritas per textum Thes. XXI allega-
tum fictionem istam unitatis excludit. Forsan idem etiam
alibi applicari potest.

sinus a soli si bona illud rupes sic alii soli si soli
Thes. XXIII.

Ex eodem principio dependet, quod filius patri & c) Qua ex-
pater filio acquirere quear, cum alioquin ex *I. 38. f. 17. quifitio-*
ff. de V. O. notum sit, alteri per alterum nihil acquireti nem.
posse, istud in Germania obtinere omnes fatentur, at
pauci specialem patriæ potestatis effectum hic agnoscunt,
rati, Germanos in universum alio jure uti, ut alius alii
acquirere possit. Ego vero subsisto, an hic alia Ger-
manorum ac Romanorum sit observatio: aut enim inter
medius iste mandatum habet aut non: Priori casu ipse
legis Romanæ acquisitionem admittunt & ferum & obli-
gationum, concedendo actiones utiles, quarum a direc-
tis distinctione utique apud nostrates exultat: Casu poste-
riori depositio juris Romani adeo non subtilis vel exorbitans
mihi videtur, ut potius rem ex ipsius juris naturæ

D 2

prin.



principiis eodem modo decidendam existimem. Nemo enim ignorat, non posse cuiquam ullam jus acquiri nisi acceptanti, quamdu ergo promissarius promissa nondum acceptavit, nullum jus ipfi competit, uti vero nullum jus, ibi in altero nulla obligatio, quia relatum non potest esse sine correlato: nec jus adquiri potest tertio isti, qui alterius nomine acceptavit, quia huic se promittens obligare noluit, & insuper exceptio, tua non interest, in ipsa sana ratione fundata ei quam maxime obstat, aliud ergo dicendum, si promittens se intermedio isti obligavit hujusque quacunque ratione intersit, promissa adimpleri, unde sustinere audeo, nihil hac in parte jus quiratum a jure naturae deflectere, neque ideo mores Germanorum ab isto dissentire: Manet ergo specialis patriæ potestatis & fictionis unitatis effectus, ex facto patris filio, & vice versa jus acquiri posse, quod in filio a patria potestate dimisso fecus.

Thef. XXIV.

d) Qua in
juriae.

Similiter mediante filio patrem injuria affici docet, l. i. ff. 3. ff. de injur. ita ut non saltem injuriam filio illaram vindicare, sed & proprio nomine injuriarum agere queat. Nec hic in Germania aliud deprehendo, sed per omnes, remediorum contra injurias classes, patrem contentum sibi in persona filii illatum vindicare posse experientia magistra edoceor, quod ultimato quidem ex ipso jure naturae, principaliter vero & proxime ex potestate patria Romanorum derivandum. Unde qui filiam familias defloravit patri hodienum injuriarum tenatur, non vero qui filium sui juris existentem. Inde quod per unam perso.

personam toti quadrigae injuria fieri posse dicitur in Comp.
LAUTERBACH. ad Tit. de injur. p. 65. in Germania cessat
prout ex infra dicendis apparebit.

Thes. XXV.

Eadem fictio unitatis vel fundamentum præbet vel e) Qua ius
saltē lucem afferit doctrinæ de jure Suitatis, vi cuius si ^{suitatis in}
lius vel filia in potestate existant patri ipso jure hæres sit ^{successione}
fine illa aditione, hæreditaremque adeo, non declarata ^{ab intestatis}
licet voluntate, ad quoscumque hæredes transmittit, cum
alioquin nota sit regula, hæreditatem non aditam non
transmitti: quod & hic legislatores ad fictionem unitatis
respexerint, innuere videtur. L. n. ff. de lib. & potest. her.
inst. ubi filius quasi vivo patre dominus paternorum bo-
norum; & post mortem patris dominium saltē conti-
nuare, nec minus in f. 2. I. de hæred. qual. & diff. fibi
ipsi succedere & quasi sui ipsius hæres esse dicitur, ac-
curate hasce locutiones identitatem personarum exprime-
re autu[m]o. Quid hac in re majores nostri ante inventum
jus Romanorum observaverint, an aditionem hæreditatis
& in filiis & in aliis requisiverint, an vero transmissio-
nem etiam fine ea indistincte admirerint ob defectum mo-
numentorum determinare non audeo, nec jam adeo mo-
ror, qui de præsentibus primario sollicitus sum. Quid
ergo? an sequimur jam jus Romanum hac in parte? Ita
videtur: Tota materia transmissionis hæreditatum praxi-
se insinuavit, regula negativa cum suis limitationibus vid.
LAUTERBACH. Disp. de transmiss. hæred. unde nec de effe-
ctu suitatis in Germania vigente ambigendum, qui sane in
plurimis juris articulis sese exerit.

D 3

Thes.

f) In impugnandis testamentis.

Ex eodem enim iure Suitatis commode deduci potest jūs liberorum, ut nullum dicendi testamentum patris, in quo sunt præteriti, quod in Germania obtinere vel inde probatur, quia totam materiam testamentariam, quanta quanta est, plerorumque, si non omnium, confessione Romanis debemus; quodlibet autem institutum suis propriis legibus estimandum esse, solennis omnium & in sana ratione fundata est sententia, si ergo ulibi, certe hic leges Romanas una cum objecto suo receperas esse fateri oportet: Necessitatem liberos in testamento instituendi nemo in dubium vocat: si contra factum, remedia filio concedenda itidem in aprico est, Germanica Jurisprudentia nulla in promtu habet, quia ignorat testamenta, ergo non potest non ex iure eodem, quod testamenta invexit, etiam mutuari remedia, ista impugnandi: Erit ergo testamentum patris in quo suis hæres præteritus, hodienum ipso jure nullum, non saltem, quoad hæredis institutionem, sed quoad omnia testamenti capita, quia hac in parte per Nov. 15. Cap. 3. nihil immutatum, sed quæ ibi circa finem disponuntur, ad testamentum ob exhæredationem, vel veram, vel quæ pro tali habetur (præteritionem matris) inofficium, non vero nullum, pertinere cum accusatoriis censeo, quod & verba: nullum EX HÆREDATIS liberis præjudicium generari &c. & ultima: Tanquam in hoc non RECISSUM obtineat testamentum &c. suadere videntur, quam tamen litem, quia non contoversias ipsius juris Romani, sed illius cum moribus domesticis constitutum tractari institui, ulterius non exequor.

Thes.

Thef. XXVII.

Ultimo loco ad effluvia fictionis unitatis referri potest pupillaria substitutio, qua & ipsa pater filii personam ^{g) Quia sub-}
^{fuit. pupilli.} indoit, & quod leges Romanæ alias tantopere detestantur, ejus nomine testamentum condit: Hanc sane Germanis olim ignoratam, hodie vero frequentissimam esse, in propatulo est, ut qui patriam Romanorum potestarem penitus extra fines nostros relegatam volunt, hunc tamen insignem ejus effectum negare nequeant. Gaudet itaque hic Romanum jus pleno rigore, nec ista substitutio ex aliis ac Romanorum principiis judicanda est. Vix enim est, ut ex jure natura patri haec facultas vindicetur, cuius ideo nullæ heic partes, sed leges civiles omne puniendum ferunt.

Thef. XXVIII.

Omnia haec inde a Thef. XX. tradita potestati Romanæ propria audivimus, patribus Germanis ex receptione matre superadjecta: Matres vero istius eminentioris potestatis, nec jure Romano nec nostro unquam participes factæ, sed id saltim in Germania iis relictum, quod ipsis debetur ex principiis naturalibus, sigillatum nulla iis cum liberis intercedit unitas, pro indeque a) quicquid mater filio vel filiae etiam si in potestate naturali adhuc constitutis donat, irrevocabiliter valet, sicut & alii contractus inter matrem & liberos secundum communes regulas aliorum quorumcunque pacientium judicandi sunt, cum nihil impedit, jus uni adversus alterum acquiri similiter b) ne dubium quidem ullum subest, quin inter eam & liberos suos lis esse queat; Matrem c) filio stipulari vel alia ratione



tione acquirere non posse ex dictis Thes. XXIII. colligi
 potest, sicut nec vice versa filius matri, nisi utrinque man-
 datum vel generale vel speciale intervenerit, quod sane
 hinc inde effectus suos exerit & maxime in pactis dota-
 libus differentiam inter patrem & matrem nomine libe-
 rorum pacientem inducit. Aequo d) injuria filio vel
 filiae licet nondum educatae illata in matrem regulariter,
 nisi scilicet eam immediate tangat, non redundat, nec
 huic actio injuriarum inde nascitur sicuti nec e) sui haere-
 des matri, sunt liberi, utpote *suitas* non naturalis poresta-
 tis effectus, sed civile figuratum est, Germanis olim in-
 cognitum; nec ex jure Romano cum matre communica-
 tum, unde & hic ratione transmissionis principia Roma-
 na vigent, nec alia respectu haereditatis maternae locum
 habet, quam Theodosiana ex jure sanguinis aliis dicta,
 quæ ad folios liberorum transmittentium descendentes
 restricta est, ad normam l. un. C. de his qui ante apert.
Tab. in praxi tamen ultra terminos istius legis, de haere-
 de ante apertas *Tabb.* moriente extensa. Et quemadmo-
 dum f) jure Romano etiam novissimo, matris præterito
 pro exhæredatione est, quod jam tanquam veriorem sen-
 tentiam suppono, non excutio, consequenter testamentum
 non reddit nullum, ita idem adhuc moribus moder-
 nis obtainere censeo, quia in materia testamentaria Ger-
 mani nihil proprii habent sed omnia ex jure Romano pe-
 tere debent. Nec ergo liberis quibuscumque contra te-
 stamentum matris aliud remedium proditum est, ac que-
 rela inofficiosi testamenti cum omnibus suis qualitatibus
 & restrictionibus, quibus jure Romano est prodita. Flu-
 ent inde insignes differentiae inter patris & matris præ-
 teritionem: ob illam testamentum per 30. annos, ob hanc
 per

per quinquennium saltem impugnari potest, contra illud etiam haeredes filii praeteriti agere possunt, non contra hoc l. 6. s. i. & l. 7. ff. de inoff. test. l. 5. C. cod. in illo omnia corrunt, in hoc legata manent salva, & quæ sunt similia. Denique g) matrem pupillariter substituere non posse ex principio saepius jam inculcato patescit, quicquid nimis non ex naturali sed Romana potestate promanat, id matri nec in Germania tributum: ubi subsumtio facilis ex Thes. praeced. substitutio pupillaris Romanis debetur, ergo mater ab ea excluditur. Consentiant hic etiam plerique Doctores tam antiqui quam noviores nec possunt per haec tenus tradita aliter sentire.

Theſ. XXIX.

Hæc de fictione unitatis sufficient. Pergo jam nono *Sc̄tum Mac-*
ad SCtum Macedonianum, quod cum iure Romano in *cedonia-*
Germaniam migrasse, & in potestate tantum civili pa- *num.*
tris non etiam naturali matris fundari censeo. Diflin-
guendum tamen ante omnia inter filium minorem
vel majorem XXV. annis, ut qui isti credidit, sola ex-
ceptione minoris ætatis tam a patre quam a matre imo
ipso filio repellatur, sibi imputaturus, quod fidem per-
sonæ inhabilis, sine consensu illius, cuius consilio regi-
tur, securus sit; Quodsi vero filius annum XXVtum ex-
cesserit, siquidem in patris potestate constitutus, SCtum
Macedonianum pleno cum vigore applicandum esse non
dubito, cum e contra licet matris potestari naturali ad-
huc subsit talis filius, SCtum penitus cesset: In filia aliud

E impe.



impedimentum ex defectu Curatoris, quem Germanorum mores plerubique requirunt, occurrit.

Theſ. XXX.

*Filius fam.
non condit
testamen-
tum.*

Non tam effectus patriæ potestatis est, quam potius ex conditione filiorum familias fuit, quod *decimo* illius testamentum condere nequeat. Idem & Germani cum integra materia testamentaria receperunt, cum alioquin potestas eorum naturalis non impedivisset, quo minus (ſi quidem testamenta jure naturæ ſubſiſtere ſtaruimus) filius æque ac pater familias testamentum condere poſſet. Apud Romanos non ex eo ſolum, quod filius nihil pro prii habet, ſed ex ipſo filiorum familias ſtatu eos ab antiquissimo modo teſtandi excludente principium iſtud invaluit, & ad noviſſima uſque tempora duravit, ut ut & prior ratio ceſſaverit, ex quo Constantinus in *L. i. C. de bon. matr.* & ſequentes Imperatores peculii adventitii regularis proprietatem filio addixerant, imo posterioribus temporibus quorundam plenum dominium introducendo peculio adventitio irregulari tribuerant, & posterior applicatione ſua dudum defitueretur, dum testamenta per multa jam ſecula in Comitiis condi deſiſſent, uti haud raro id accidit Jurisprudentiæ Romanae, ut ceſſantibus plane principiis, tamen principiata remanferint. Similiter in Germania filius familiæ, ceſſantibus licet opido rationibus, inhabilis ad teſtandum judicatur de omnibus bonis, quæ non jure Romano deprehenduntur excepta: Uno verbo etiam hic prorsus triumphat jus Romanum. Patre vero mortuo filius non obſtantē po reſta.

testate naturali matris vel etiam usufructu huic competente de omnibus suis bonis tanquam homo sui juris recte testabitur, moribus Romanis & Germanis in unum heic conspirantibus.

Thef. XXXI.

Necessitas alendi undecimo non inter effectus patriæ *Obligatio* potestatis sed causas potius referenda est. Eam natura *ad alimen-* utriusque parenti injungit æqualem. Romani prout com- *ta.* moda patriæ potestatis soli patri cedere volebant, ita cum principaliter ad prolem alendam obstrinxerant, ma- trem non nisi in subfidium; eundemque ordinem etiam in sobole illegitima, tamersi in eam patri nulla esset po- testas, servabant. Circa liberos in matrimonio editos mutationem quandam in Germania adfert societas bono- rum conjugalis, quæ, ubi viger, matrem æque princi- paliter ac patrem ad alendum obstringit, inde inferrem, si patris mortui substantia ad alendos liberos non suffi- ciat, matrem a socero suo, avo liberorum paterno, non sicut jure Romano, omnia, sed saltē dimidiā alimen- torum partem exigere posse, cum obligatio in persona matris semel radicata morte mariti non extinguatur; ma- tri autem soli hoc onus tum incumbere, uti vult B. HU- BERI *Präl. ad Pan. Tit. de agnosc. & alend. Lib. f. 7.* in fine. Nec æquitas patitur nec principiis Jurispruden- tiae etiam Germanicæ convenient quæ non possunt probari heic ulterius a jure Romano recedere, ac communio bo- norum inter conjuges exposit, quæ vero meæ potius

E 2

ac

AC HUBERI sententiae succenturiatur. E contra patrem, matre mortua, solum ad alendos liberos obstrictum, nec sacerum sive avum maternum in partes curarum vocare posse existimo, nisi in quantum officio suo, dotandi filiam dum viveret, nondum satis fecisset. Et hac ratione temperandam credo sententiam B. STRYK. in *Disput. de jure Avorum Cap. 2. num. 59. & seqq.* In prole illegitima cum cesserat ratio a communione bonorum depromta, nec in principiis juris Germanici speciale quid hac de re dispositum reperiatur, merito sequimur jus Romanum, & sicuti patrem, teste quotidiana praxi, ita etiam avum paternum solum, & ante matrem ad alendum istam progeniem adstringimus: Utut enim forsitan non desint rationes æquitatis, quæ matri potius quam avo paterno onus hocce imponerent, per suassissimum tamen habeo, in ejusmodi quæstionibus arbitrariis ratiocinia ex jure naturæ depromta contra expressam juris Romani dispositionem in Germania non debere attendi, cum hunc ipsum in finem ferri soleant leges civiles, ut ne cuiilibet judicii jus naturæ, quod saepè in utramque partem eodem probabilitatis gradu trahi potest, pro suo genio interpretari liceat. Quomodo cunque ergo legislator quæstionem ejusmodi deciderit, ad eundem modum etiam sententiae ferendæ erunt, unde, cum rationes juris Germanici (quas etiam ante applicationem juris Romani adhuc respiciendas, subinde THOMASIVS) plerumque nihil aliud sint, quam rationes æquitatis naturalis, ubi saepè ego ajo tu negas, eas contra jus Romanum regulariter non attendendas censeo, quia alioquin ad merum jus Naturæ redigeretur Jurisprudentia nostra, quod & Rei-

Reipublicæ perticilioſum, & quotidianæ praxi contrarium est.

Theſ. XXXII.

Restat quarto ut paucis etiam videamus, quibus *Dissolutio*
modis patria potestas secundum principia Romana & qui potestatis
bus secundum Germanica finiatur. Et ex conceptu Ro. *ex jure Ro-*
mano & Germanico.
manorum de patria potestate ſupra tradito, facile eft ad intelligendum, duraffe illam ad dies vita, nec potuisse filium ulla ratione ſe imperio paterno subducere, volentem vero patrem potuisse filium de ſua potestate dimittere, & tum ab antiquissimo ritu trinæ Mancipationis dicebarur filium emancipare, quaꝝ quam peculiares prorsus effectus produxit, &, in aliam licet formam ab Anastasio & Justiniano mutata, retinuerit, erudite ostendit Illustr. Dn. BOEHMER in *Dip. de ſtatu liber. ſui jur. fa-*
ctor. per ſeparat. vel nupt. Cap. i. ſ. 2. ſeqq. Germani e contra hac in re magis jus naturæ ſequentes potestatem parentum iisdem terminis circumſcriperunt, quibus finis ſocietatis iſtius continentur: Quam primum ſcilicet finis educationis obtentus, & liberi ejus ætatis ſunt, ut ſe ipſos gubernare queant, non licet parenti eos ultra detinere, ſed fas eſt liberi ex domo paterna exire & patris – vel matris familiæ nomen affumendo novam familiam auſpicari, quo ipſo potestas parentum diſſolvitur, & liberi ſui juris ſunt, qui maxime naturalis modus liberandi a patria potestate ſub nomine separationis ab economia paterna venire ſolet, & cum omnibus ſuis re quisitis qualitatibus, & effectibus accuratissime explicarū

E 3

eft



est a B. Dn. HARPPRECHT. in Disp. de separat. liberorum famil. ab econom. pater. Solum matrimonium filii, nisi simul se a patris cconomia separat, non sufficit, probe tamen matrimonium filiae, et si de pane patris adhuc vivat, quia jam in aliam familiam & potestatem mariti transit, quae cum potestate patria incompatibilis. Hac itaque ratione Germanorum liberi exivere semper, & adhuc exent ex parentum potestate. Sed quo cum effectu? Non induere eos ideo integrum personam libe-
 rorum emancipatorum, optime observavit Dn. BOEH-
 MER. citat. Disp. de statu liberorum &c. cap. 2. §. 10. seqq.
 quod vero exinde §. 12. &c. seqq. efformat principium,
 extingui ita patriæ potestatis quoad effectus natura libe-
 ris onerosos, non autem quoad effectus commodos, ex-
 emplo juris suitatis & pupillaris substitutionis subiuncto,
 in eo non potui a me impetrare, ut Viro Celeberrimo
 ad stipularer, sed malui cum B. HARPFRECHT. in allegat.
 Disp. de separat. ab econom. pater. §. 37. contrarium de-
 fendente facere, non sane præjudicio auctoritatis, quam,
 si ulli, certe ipsis duobus Viris æqualem tribuo, sed ra-
 tionum pondere adductus. Quæstio est, an filius sepa-
 ratus juribus suitatis adhuc gaudeat, consequenter patri
 ipso jure hæres fiat, hæreditatemque citra aditionem
 transmitrat? Item a patre præteritus testamentum nul-
 lum dicat? Ait Dn. BOEHMERUS: Ego vero nego.
 Speciosa sunt, quæ in laudata Dissertatione adducuntur,
 sed tamen me haud convincunt, tota vis rationum eo
 redit, quicquid emancipati Romani ex eo solo amiserunt,
 quod extra familiam collocati essent, illud nostri separa-
 ti haud amittunt, atqui jura suitatis &c. Ergo &c.
 Contrah.

Quis ejus
 effectus cir-
 ca jus sui-
 tatis.

Contra majorem nihil jam excipo, quamvis aliquoties
 jam monitum sit, non raro principio licet rejecto tamen
 principiata in foris triumphare; sed minorem in dubium
 voco. Quod penitus ab hereditate antiquitus exclusi
 fuerint emancipati, id jaētūræ jurium familiæ tribuo,
 quod vero desierint *sui* hæredes esse (de quo jam unice
 quæstio est) id ex eo solo, quod ex patria potestate
 exierint, repeto, persuasumque habeo, etiam si emanci-
 patio nunquam fuisse capitis diminutio, sed æque sim-
 pliciter ac hodie liberi dimissi fuisse a patria potestate,
 tamen semper jura suitatis fuisse cessatura, utpote quæ
 non juri familiæ, sed soli patriæ potestati civili & si-
 tutioni unitatis, imo ne huic quidem omni, ni simul pro-
 ximitas gradus concurreret, adscribenda est. Hoc ita
 sese habere, argumento sunt, 1) agnati, quibus sane ju-
 ra familiæ denegari nequeunt & tamen *sui* hæredes non
 sunt, 2) si avus nepotem ex filio adhuc vivo in sua po-
 testate existentem hæredem instituat, non erit *suis* hæ-
 res, & tamen nemo dixerit, cum juribus familiæ desi-
 tui. 3) Matri filius ex Sæto Orphitiano succedit, ar non
suis hæres est, ex ea sola ratione, quod non sit in po-
 testate matris, quam specificè reddit ipse *Imp. in §. 3.*
Inß. de her. qual. & differ. verbis: quia famine in pote-
state liberos non habent &c. Haec omnia, ni fallor, satis
 ostendunt, unicum fundamentum suitatis fuisse patriam
 potestatem, eaque sublata eam, abstrahendo plane a
 modo tollendi, necessario extingui debuisse, unde infe-
 ro, ut ut vel maxime separatio ab cœconomia paterna non
 sit capitis diminutio, pro indeque, quæ emancipatio-
 nem, qua capitis deminutionem sequebantur, ad eam ad-
 plica.

plicari nequeant, jura tamen suitatis liberis separatis perire. Nec argumentum a liberatione per dignitatem
 huc duci potest, quia partem ibi privilegium in favorem
 liberorum, introductum, quod naturali ratione in odium
 eorum detorqueri non debeat, partim ibi per Nov. 81.
 cap. 2. (siquidem verba ista etiam de jure *suitatis* & non
 potius de solo jure *agnationis* intelligenda sint, quod
 jam in medio relinquo) expresse reservata haec jura,
 quorum neutrum ad nostram separationem quadrat, in
 qua nec privilegium, sed jus commune deprehenditur,
 nec quicquam reservatum ostendi potest. Quicquid ergo
 unice ex patria potestate civili derivandum, illud
 sublata hac & ipsum tollitur: Et vero, per haec tenus deducta,
 jus suitatis tantummodo in patria potestate fundatur,
 quae per separationem tollitur, per consequens
 post hanc separationem non potest remanere suitas a
 patria potestate solitarie dependens: Neque enim haec
 tenus evictum est, sublationem istam parialem saltem
 esse, quod usque dum probatur, pro totali pronuncian-
 dum existimo. Differentia itaque hodienum erit inter
 filium potestati patris adhuc subjectum & per separatio-
 nem liberatum, quod α) ille ipso jure haeres sit, conse-
 quenter hereditatem transmittere possit: Hie vero adire
 debeat, nec ante aditionem transmittat nisi ex L. THEO-
 DOSII un. C. de bis, qui ante apert. Tabb. quod β) ille
 testamentum ob prateritionem nullum dicat, hic bono-
 rum possessione contra Tabulas utatur: Hanc enim diffe-
 rentiam ne quidem per Nov. 15. cap. 3. sublatam esse jam
 non probe sed suppono, quia meum saltem est evincere
 applica-

applicationem juris Romani in Germania, non vero controverias ipsius juris Romani discutere.

Theſ. XXXIII.

Secundum principia haec tenus tradita non possum *Quis effe-*
 non aliter iterum sentire de substitutione pupillari ac *Iau-*
datissimus Dn. AUCTOR in ſ. 19. diſcētā Differtat. rationes *circa*
ſubſtitutio-
ſubduxit. Non jam ad eam quæſtionem descendam, an *num pupil-*
la ſta ſubſtitutio magis jus patris an magis favor filii dici larum.

mereatur? Sed utcumque ea decidatur, & si vel maxime
 posterior tententia prævaleat, hoc ſemper certum eſt,
 non niſi vi *patrie potestatis* ſubſtitui poſſe, quod vel ex-
 emplo matris clareſcit, quæ filio hæredem dare nequit,
 unde eam non incongrue ex fiſtione unitatis deduci po-
 ſe jam Theſ. XXVII. monui. Et jura familiæ hic non
 attendi vel inde conſtat, quod proximo agnato impube-
 ri, ut ut jure familiæ ſuccedat, ſubſtitui nequeat, quod
 ergo in filio emancipato ſubſtitutio locum non habeat,
 non ex qualitate filii per c̄apitis deminutionem inducta,
 ſed ex defectu juris & qualitatis in patre deducendum
 venit; filius naturalis capitis deminutionem non eſt pa-
 ſus, & tamen ei ſubſtitui nequit, non ideo quia extra
 familiam eſt, quod exemplo agnati refellitur, ſed quia
 extra patriam potestatem eſt conſtiturus. In filio caſus in
 Germania vixdabilis eſt, cum non ſoleant liberi impube-
 res ſe a paterna cœconomia separare. Aſt dabilis facile
 eſt in nepote ex filio separato præmortuo, qui in pore-
 state patris non avi fuit, & per illius mortem ſui juris
 factus eſt, cui avum pupillariter ſubſtituere poſſe, d. & o

F loco

loco responditum est: Ego vero sublito, & sine patria potestate facultatem substituendi nemini concedo: Recepimus enim substitutionem notorie ex jure Romano, quod cum nemini permittit nisi qui haber patriam potestatem, hanc autem secundum mores non habet avus in nepotes, per consequens nec jure substituendi gaudere potest. Et quid si ipse pater jam filio pupillariter substituerit, procul dubio avi nullae erunt partes. At jus substituendi in subsidium & quodammodo sub conditione competens ignorat Jurisprudentia nostra. Et quid dicemus de avo materno? Dubito an vir eruditissimus idem de eo, etiam si & pater & avus paternus deficiat, prædicaturus sit, & tamen etiam de filia in Cap. 2. §. 6. afferit, quod illa nubendo jura familie integra retineat; quæ contra moveri potest exceptio, nepotes ex filia non matris, sed patris familiam sequi avoque ideo materno extraneos censeri, haud difficulter retunditur, si consideremus jura ista familie sive agnationis & jure Justinianæ novissimo sublata, & Germanis inter privatos nunquam cognita fuisse, ideoque haud pro sufficiente ratione differentiae allegari posse. Perfido itaque in sententia B. STRYKII qui in Uso Modern. Tit. de vulg. & pupill. substitut. §. 5. eadem mecum principia fovet, eaque responso facultatis Viadrinæ corroborat; Non ego ex iis sum, qui integrum statum emancipatorum separatis nostris applicare, vel capitis deminutionem in separatione ista querere satagunt, nec enim ex hisce principiis hactenus pugnavi: sed in eo portius cardinem totius rei coloco. An juribus suitaris & pupillari substitutione emancipati Romanorum ideo exciderint, quod capite minu-

minuti & extorres a juribus familiæ facti? quod afferit
 DR. BOEHMER. An vero immediate ex eo quod exi-
 erint a patria potestate, abstrahendo penitus a modo
 exeundi? quod mihi videtur. Cumque hoc ultimum
 etiam de separatis verum sit; haud dubito, jaſturam di-
 storum jurium etiam de iis prædicare, cui ſententiae
 praxin quoque communem adſtipulari deprehendo, ceu
 quam ſemper procliviorem ad retinenda, quam deſe-
 renda juris Romani principia fatentur ipſi contrariae ſen-
 tentiae patroni: A qua heic eo minus recedendum,
 quia ſatis ei conſtare rationes suas existimo. Posset for-
 ſan pro altera ſententia argumentum inde deduci, quod
 filio mortuo, ſecundum ſānam rationem, quam plerum-
 que ſequuntur Germani, cum onere alendi & educan-
 di etiam potestas in avum recidat, ex qua facultas ſub-
 ſtituendi ipſi vindicari queat. Verum enim vero po-
 teftas illa, quam quidem avo haud denegaverim, natura-
 lis faltem erit, quæ potestatem ſubstituendi non tri-
 buit.

Theſ. XXXIV.

Antequam hinc diſcedam, iſtud adhuc ſub incudem
 vocandum, ſi pater per furorem vel alium ejusmodi ca-
 ſum educationi liberorum prorsus impar reddatur, an finiatur fu-
 ideo patria potestas extinguatur. Principia juris natu-
 rae alium requirunt ducatorem, ali ſed ideo etiam Imperium
 paternum tribuunt; Cum tamen filius ex bonis patris
 alendus ſit, huic etiam uolumfructum bonorum filii fal-

F 2 vum

vum existimarem. Romani propter furorem, patriam potestatem nec quicquam immutant, & inde plura inconvenientia hinc inde admittere coacti fuerunt. Quid vero Germani? an filium ejusmodi pro patre – an filio familias habebunt? Mallem posterius afferere, quia patria potestas civilis quatenus recepta ex legibus etiam civilibus judicanda, quae non patiuntur, ut furore tollatur, nec a cessante potestate naturali ad cessationem civilis argumentari licet. Erit ergo patri suus haeres, non conder testamentum, uterur S^to Macedoniano, quamdiu in domo patris manet & curatoris paterni consilio regitur. Separatus vero demum jure Patrisfamilias censabitur: de cuius separationis effectu non in hoc saltem casu, de patre furioso, sed in genere queri potest: Numne usumfructum parentum indistincte finiat? Præmium Emancipationis ex l. 6. s^r. 3. C. de bon. que Lib. apud nos exulare, conciamatum est; Expirabit ergo totus ususfructus, nec ad dies vita parentum extendetur, præterquam quod non saltem Württenberg. Jure P. 4. tit. 7. s^r. Und mas &c. & tit. 9. s^r. Was aber &c. sed & multis aliis locis B. Dn. HARPPRECHT. de imped. ususfr. stat. Mat. thes. 33. Distinctio inter bona materna (seu respectu matris paterna) & avita vel alia quaecunque inducta, ita ut illorum ususfructus separatione non finiatur, sed ad dies viræ duret, quod ex societate honorum conjugali derivandum videtur, quam, quoad bona semel illata, cum liberis usque ad mortem continuare censetur conjux superstes.

Theſ.

Thef. XXXV.

Satis haec tenus ni fallor, ostensum est, qua ratione *Scita juris*
 consarcinata sit ex principiis partim peregrinis, partim *Würtemb.*
 domesticis Jurisprudentia Germanica, circa materiam pa- *circa pot-*
 triæ potestatis. Colophonis loco, quid jus Württenbur *statem pa-*
 gicum heic specialiter disponat, paucis videndum. Istud *rentum.*
 vero apertius hac in re principia Romana adoptarit, ut
 eorum applicatio minus dubii in foris hujus Ducatus ha-
 beat, præprimis autem attendi meretur, quod plurimi
 effectus patriæ potestatis civilis hoc jure etiam ad ma-
 trem sint tracti; sic ipsa eundem usumfructum habet,
 quem pater J. P. W. P. 4. tit. 7. *f.* Und was &c. & tit.
8. f. Was dann &c. tit. 9. per tot. tacita hypotheca libe-
 ris in ejus bonis æque ac patris competit, *P. 2. tit. 8. f.*
Ebenmässig &c. & *P. 4. tit. 10.* potest pupillariter substi-
 tuere cum variis tamen restrictionibus. *P. 3. tit. 12. f.*
Und wie wohl &c. Imo effectus etiam juris suitatis ei
 applicatos deprehendere licet, dum in *P. 4. tit. 22. f.*
So lassen wir es &c. Transmissio ex jure suitatis ad hæ-
 reditatem matris tantum non in totum extensa. Et li-
 cet circa effectum infirmandi testamenta utriusque paren-
 tis, differentia ex jure suitatis promanans in *P. 3. tit. 17.*
f. f. *Wann ein Vater* &c. & *Da aber eine Mutter* &c.
 conservata videatur, tamen quia posterior paragraphus
 validitatem testamenti materni ad præteritionem *cum ad-*
dita causa restringit, parvi, momenti vel minimum ra-
 rissime occurrens discrimen supererit, hoc unicum ex-
 inde erui potest, quod ad excludendos liberos non ex-
 pressa exhaerationis verba prout in patre, *dict. tit. 8.*
Wann



Wann ein Vater in verbis : Die Enterbung mit lautern
oder doch solchen Worten , die eine Enterbung obnzweife-
lich mit sic bringen &c. requirantur, sed modo caula se-
cundum tenorem Nov. 15. cap. 3. expressa sit, qnaliacun-
que etiam ad exhaerationem non directa verba suffici-
unt. Ex his omnibus patet, non fuisse Srmo. Legis-
latori animum, totam potestatem civilem cum omnibus
suis effectibus in Germania receptis ad matrem transfer-
re, unde formanda regula, quicunque effectus potesta-
tis civilis per jus provinciale non specialiter cum matre
communicatur , illa adhuc hodie respectu ejus exulat:
In quo jus nostrum Würtembergicum cum communi
Germanorum jure conspirat in matre scilicet præsum-
ptionem pro potestate naturali, in patre vero pro civi-
li, varie tamen moribus Germanorum li-
mitata capiendam.



Tübingen, Diss., 1732-35

ULB Halle
004 784 987

3



f

TA → OL nr 1+18 shick verklopft



Br. 29, num. 72. P. V. H. a.
Tob
1735, 6 c
22

19. MIXTVRA
 JVRIS ROMANI ET GERMANICI
 IN MATERIA
PATRIAЕ POTESTATIS
 ET QVAE INDE DEPENDENT
 CONSPICVA

* * * * *

QVAM
 PRO OBJECTO SPECIMINIS DISPVATORII
 EXHIBENT

P R A E S E S
GVNTHONIUS ALBERTVS RENZ
 J. V. L. EJVSDEMQVE PROFESSOR IN COLLEG.
 ILLVSTR. PVBL. ORDINARIVS,
 ET
 RESPONDENS
FERDINANDVS HENRICVS WOELFFING
 STVTTGARD.
 IN AVDITORIO COLLEG. ILLVSTR.
 AD DIEM MART. A. MDCCXXXV.

* * * * *

RECVSA
 HALAE MAGDEB. LITTERIS HENDELIANIS 1759. (6)

